Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et decoris causa edificiis additur ut tectorum auro distincta laquearia et preciosi marmoris crustę et colorum pictura. **De laquearis.**

Laquearia sunt que cameram subtegunt et ornant que et lacunaria dicuntur quod locos quosdam quadratos vel rotundos ligno vel gypso vel coloribus habent pictos cum signis intermicantibus. Principaliter autem dicitur ut luceat resultantque. Et desque lacus. lacus diminutio lacunar dicitur ut oratius. Neque aureum mea renitet in domo lacunar. Unde fit alia diminutio lacunarium et per antistichon laquearium facit. **De crustis.**

Crustę autem tabulę sunt ~~tabulę~~ marmoris unde et marmorati parietes et crustati dicuntur. Qui autem secandi marmora in crustas excogitaverit non constat. Fiunt autem harena et ferro et serra in pretenui linea premente harenas tractuque ipso secante. Sed crassior arena plus erodet marmoris. nam tenuis fabricis et polituris.

Lithostrota sunt elabo **De lithostratis.** rata arte picturę parvulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores. Tesselli autem a tesseris nominati id est quadratis lapillis per diminutionem. Plasticen est parietem effigies ex gypso signaque exprimere pingique coloribus.

Plasticen autem dictum grece quod latine fingere terra vel gypso similitudines. nam et ipsa argilla formam aliquam faciens plastis est. unde et protoplastus dictus est homo. qui de limo primum est conditus. Pictura est imago exprimens speciem rei alicuius que dum visa fuerit ad recordationem mentem reducit. Pictura autem dicta quasi fictura. est enim imago ficta non veritas. hinc et fucata id est ficto colore illita. nihil fidei et veritatis habentia. unde et sunt quedam picturę que corpora veritatis studio coloris excedunt et fidem dum augere contendunt ad mendacium provehunt. sic qui chimeram tricapitem pingunt vel scillam hominem sursum. caninis autem capitibus cincta deorsum. Picturam egyptii excogitaverunt primum umbra hominis lineis circumducta. itaque initio talis. secunda singulis coloribus. postea diversis. sicque paulatim sese ars ipsa distinxit et invenit lumen atque umbras differentiasque colorum. unde et nunc pictores prius umbras quasdam et lineas futurę imagini ducunt deinde coloribus complent tenentes ordinem inventę artis.

De coloribus.

Colores autem dicti sunt quod calore ignis vel sole perficiuntur. sive quod initio colabantur ut summę subtilitatis existerent. Colores autem aut nascuntur aut fiunt. Nascuntur ut sinopis. rubrica. paretonium. melinum. eretria. auripigmentum. ceteri finguntur aut arte aut permixtione. Sinopis primum inventa in ponto est. inde nomen a sinope urbe accepit. Species eius tres. rubra et minus rubens et inter has media. Rubrica vocata quod sit rubra et sanguinea. prima hec in plurimis locis gignitur. sed optima pontica. unde et pontica dicitur. Siricum rubri coloris pigmentum. ex quo libri capita scribuntur. ipsum est et fenicium. ita dictum eo quod id siria colligatur in litoribus rubri maris ubi fenices habitant. Aliud est autem sericum aliud siricum. nam sericum lana est quam seres mittunt. siricum vero pigmentum quod siri fenices in maris rubri litoribus colligunt. Est autem et factitium. nam sepe aut sinopide aut sandice mixtis. Minium primi greci in ephesiorum solo invenisse traduntur. Cuius pigmenti hispania ceteris regionibus plus habundat. unde et nomen proprio flumini dedit. Huius distillatio argentum liquidum gignit. Minium autem hoc quidam dicunt esse cinnabarin. Cinnabarin a dracone et barro hoc est elefante cognominatum. aiunt enim draconum esse sanguinem dum eos implicant elefantos ruunt beluę et dracones obruuntur. quorum fusus cruor terram inficit. fitque pigmentum quod solo inheserint. Est autem pulvis coloris rubri. Prasin id est creta viridis. que alicubi terris permiscetur. genera optima tamen in libia cirenensi. Crisocola colore prasina est dicta quod vena eius aurum habeat. traditur hec et in aerariis venis nasci. sed ex macedonia probabilis venit. Foditur enim ex metallis eris. Cuius inventio argentum atque idcirco prodit. nam venę eius cum his habent naturę societatem. Cipro vero plurima reperitur. Sandaraca in insula rubri maris topazio nascitur. colore cinnabari. odore sulphureo. invenitur autem in aureis et argentariis metallis. melior quo magis rufa. quoque magis virus redolens et cerussa si torreatur in fornace